



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Alia Acta ejusdem Domini Episcopi Francisci Gvilielmi, circa Synodos & Cleri reformationem extra Synodos Episcopales suarum Ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

# ALIA ACTA

à Reverendissimo ac Illustrissimo Principe  
ac Domino,

D. FRANCISCO GUILIELMO,  
EPISCOPO OSNABRUGENSI,  
MINDENSI ET VERDENSI,  
COMITE DE WARTEMBERG,  
ET DOMINO IN WALD,

Circa Synodos & Cleri reformationem  
extra Synodos Episcopales suarum  
Ecclesiarum.



Elebrata fuit per suam Illustrissimam Celsitudinem anno M DC XXXIII, die XII mensis Martii, Mindæ altera Synodus, minus solemnis & consueta; in qua, præter orationem Synodalem, aliasque preces pias, solum paucis inculcata fuit obseruantia Statutorum, præcedenti Synodo decretorum & promulgatorum. Cum autem hostes Imperii, magis Virginius versus, irruerent, Illustrissimus deno se Osnabrugam suam contulit: unde, eodem anno, occupata Civitate totaque Dieceesi, XXIV Iulii, cedere furori hostili, & se Monasterium, inde Coloniam, transferre coactus fuit. Quod, simili modo, Decembri M DC XXX, Verda contigerat. Et, licet in utroque Episcopatu, Osnabrugensi & Mindensi, ab eo tempore præsens esse non potuerit; tamen per Officiatos & Ministros suos, nec non Capitula sua Cathedralia, singulis annis bis, feria tertia scilicet post Dominicam Octubri, & feria tertia post festum S. Remigii Episcopi & Confessoris, Congregationes Synodales, Conventusque Cleri, secundum Statuta Synodalia Illustrissimæ Suae Celsitudinis de annis M DC XXVIII & M DC XXXII, quamvis non tam solemnes, celebrati sunt; prout, juxta Constitutiones Metropoliticæ, & hæ & alia Ecclesiæ, Metropolis Coloniensis Suffraganeæ, per integrum se quiseculum laudabiliter hucusque observant; ubi defectus & errores in Clero corriguntur, nec non ab Archidiaconis, Decanis ruralibus, aliisque Prælatis seu Præpositis, in Clero ea, quæ ad conservationem religionis & Cleri

spectant, proponuntur, ac juxta Synodalia Statuta resolvuntur atque disponuntur. quas Synodos hic edere, supervacaneum visum fuit.

Insuper Illustrissima Sua Celsitudo, uti superiore Synodo Hildesimensi vidimus, anno M DC XXI moderator Aulae Electoralis Coloniensis in locum Cardinalis Zollerani sufficitus, Serenissimum Electorem eò permovit, ut, eodem statim anno, primam suam Paderbornensis Dieceesis, cui præerat, in persona celebraret Synodum; quod etiam Monasterii eodem anno factum, itemque Leodii.

Valde etiam ursit, ut, cum, ab anno Christi M DC XXXVI nullum in hac Provincia celebratum sit Concilium Metropoliticum, pro necessitate temporum ac Ecclesiarum tandem iterum haberetur. Quod etiam Elector zelose apprehendit, multa ad id præparatoria faciens, suosque ministros monens, ut, quæ in eo agenda essent, disponerent, ac inquirent. Sed motus illi bellici omnem occasionem præripuerunt conveniendi, convocandique tantum Clerum, per tam latos, Colonensem, Osnabrugensem, Leodiensem, Monasteriensem, Mindensemque Episcopatus, diffusum ac dispersum. Non dubitandum tamen, modernum Dominum Electorem Maximilianum Henricum, patrui sui vestigiis inhærendo, pro suo singulari zelo, quo in res Ecclesiasticas pastoraleque officium fertur, Imperii rebus jam compositis, huic negotio ultimam manum admoturum, tamque necessarium opus perfecturum. Quod Illustrissima Sua Celsitudo, uti primus ac senior Suffraganeus, pro suo debito, ulterius promovere non desisteret.

Cum, anno M DC XXIX, Ferdinandus II Cæsar, Illustrissimæ Suae Celsitudini Commissionem dedisset, Edictum Cæsareum circa resti-

restitutionem bonorum Ecclesiasticorum in Imperio exequendi per Circulum Saxoniam inferiorem totum , & partem superioris cis Albitm; statim Sua Celsitudo, mené Octobri, ipsamet ad illas partes, cum aliis suis Concommissariis , se transtulit , &c , amotis ubique ini quis detentoribus, Archiepiscopatum Bremen sem, & Episcopatus, Hildesheimem, Halberstadiensem, nec non partem Magdeburgicam cis Albitm, in eisque, præter Cathedrales, quindecim insignes collegiatas Ecclesiæ ; Monasteria vero diverorum Ordinum, præter alias Parochiales , ceterasque Ecclesiæ, Capellas, ac Hospitalia , centum quadraginta sex , contrajura , pacta , Leges Imperii sententiasque latas , à malis detentoribus pessime usurpata, Catholicis restituit ; Canonicos ac Religiosos singulis locis imponendo , & tam Urbano VIII , quam Cæsari Ferdinando II , de omnibus exactam rationem reddendo. Vbique convocavit Clerum , ipsumque tam per sé, quam per Reverendissimum Cardicensem Episcopum, quem secum assumperat, prius adhortationibus instruxit. Urbanus VIII speciali Brevi tunc constituit Illustrissimam Suam Celsitudinem Vicarium Apostolicum Diœcesis Bremensis, cum amplissimis facultatibus. Vnde Sua Celsitudo Monasteria illa, quorum adhuc aliquot Catholica fuere , visitavit tam ipse quam per suos.

Anno M DC XXXIV labente , Elector Coloniensis Suam Celsitudinem Legatum misit ad

Aulam Cæfaream; & anno M DC XXXV submisit Commissionem reformandi celeberrimum Monasterium Berchtesgadense ; quod etiam feliciter perfecit. Monasterium hoc fundatum fuit pro Canonici Regularibus S. Augustini, anno Christi M C LXXX ; cui semper Præpositi prefuerunt , & anno M D XC I Sere-nissimus Ferdinandus Bavariae Dux , postmodum Elector Coloniensis, in Coadjutorem postulatus a Iacobo Præposito Regulari fuit. Est autem hoc Monasterium ac territorium in spiritualibus Sedi Apostolicæ immediate subjectum ; in temporalibus similiter inter liberos Imperii Principatus numeratur. A multo tempore unius saeculi , Nobiles tantum in hoc Collegium asceticum assumpti, paulatim à disciplina regulari deviare incipientes, saeculares Canonici esse ambiebant. Studuit horum reformationi præfatus Dominus Elector tot annis , nunquam tamen finem assequi potuit ; sed anno, ut dictum est , M DC XXXV, Sua Celsitudo , habitum , noviciatum , professionem , communem mensam , & regularem disciplinam omnem, iterum magno studio introduxit. Dedit idem Elector anno M DC L denuo Sue Celsitudini commissionem, ut , cum in suam iret Diœcesin Ratisbonensem, de novo visitaret , ac reformaret corrigenda ; quod etiam, mensis Augusto , præstitit ; atque ibi , tum administravit Sacramentum Confirmationis , tum alia Pontificalia exercuit.